Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 683
Quelle:
Copyright:

usque ad *Sermonis* 22. verba: *ad earum rerum intelligentiam, quas concupiuerat ſcire* &c. quae ſunt edit. *n.* 8. Demum *Sermo*, ut ſupra dixi, 25. fiſtit in iis verbis: *quę ſunt in lege tua de gratia tua. ut non ſit in me* — quae habentur edit. *n.* 5.

CCCXXVIII.

R. 3170 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 138. f. maj. per duas columnas luculente, pulcreque perſcriptus, et rubricis enotatus ita inſignitur: *Incipit prologus in Omelias aurelij Auguſtini.* Verum ne putes in omnes, poſt Prologum *Incipiunt omelie aurelij Auguſtini de pſalmo centeſimo. VIII°. decimo.* Homiliis XXXII. beatus Pater hunc Pſalmum, uti notum eſt, expoſuit, atque hae omnes in Codice rite ſequuntur, ſingulae in tres veluti Lectiones per margines diviſae. Collatae cum edit. *Maur.* T. IV. *col.* 1277. non unam varietatem ab Editoribus illis praeteritam obferunt. Ita v. g. in Prologo pro *ejus profunditatem* legunt *altitudinem.* In Homilia I. *ut beatitudinem quaeramus* pro *ad beatitudinem*, item *deditus eſt, ut luxuria ſtuprisque corrumpatur* pro *deditus luxuria ſtuprisque corrumpitur*, item *voluntatem laetitiamque*, pro *voluptatem laetitiamque*, item *inimicorum ſanguinem* omiſſo *fundere*, item *Non hac uia itur illuc quo* pro *Non illac itur qua*, item *itinera iſta quae* pro *itinera iſta qua* &c. In fine Hom. IV. *glorificabor in te* pro *gloriabor in te* In fine Hom. IX. *exerceretur, meditaretur, precaretur*, pro *exercetur, meditetur, precetur.* In fine Hom. X. *contradicitur longitudine* pro *contradicitur longitudini.* Atque haec probabilia delibata ſufficiant ad oſtendendam Exemplaris utilitatem

Fol. 71. *Incipit Explanatio ſancti Auguſtini epiſcopi. In canticum graduum. Aliter. Incipit tractatus pſalmi centeſimi Nonidecimi.* Pſalmos XV. a XIX. usque ad XXXIII. inſcriptos *Cantica Graduum* totidem Enarrationibus proſecutus eſt *Auguſtinus*, quae T. *ſupracit.* leguntur a *col.* 1364. Initium eſt: *Breuis Pſalmus. et ualde utilis ad cantandum nobis. Cantatum audiuimus et cantando reſpondimus* &c. Jam haec paullo ab Editis differunt. Itaque et per decurſum nonnunquam varia occurrit lectio. Sic in Pſalm. XIX. *qui modo in his pſalmis* pro *quomodo in his pſalmis. Ipſe tibi ſe fecit patiendo* pro *Ipſe tibi fecit patiendo. Sputis illitus* pro *Sputis illinitus. Tranſeuntia, hic* pro *Tranſeuntia haec. Quanta poterat* pro *Quantum poterat. Nam ubi ait, ſive enim mente exceſſimus, deo, ibi ſtatim addidit, ſive temperantes ſumus, uobis*, pro *Nam ibi ait, ſive enim mente exceſſimus, deo, ſive temperantes ſumus, vobis. Naſcendo et moriendo* pro *Naſcendo et patiendo* &c. Ad rò *linguas aduerſantium* additur in margine *Pöſs Zungen*, unde Codicem in *Germania* ſcriptum liquet. Clauſula finalis habet: *Explicit tractatus aurelii auguſtini epiſcopi*